



§. III.

*Coniectura Idsingae, omnibus omnino ad mortem damnatis
triginta dies iustos fuisse, examinatur ac refellitur.*

Haec igitur sapientissima Gratiani Imperatoris sanctio cum, vti ex iis, quae ad explicandam illius sententiam breuiter a nobis dicta sunt, satis adparet, ad eos dumtaxat pertineat, in quos princeps ipse sine figura et ordine iudicii proprio motu durius animaduerti iubet, atque adeo ius quoddam singulare complectatur; sequitur, spatium illud triginta dierum, Gratiana constitutione indultum, ad damnatos a magistratu, adhibito iudiciario ordine, non esse porrigendum, sed potius de iis statim post dictam sententiam supplicium sumendum. Atque hoc discrimen inter eos, quibus ipse princeps iratus sententiam mortis dixit, et eos, quos iudex ordinarius vltimo supplicio dignos pronunciauit, recte statuerunt optimi quique iuris ciuilibus interpretes, e quibus nominasse sufficiat Cuiacium *Lib. XX. Obseru. c. 32.* et *Recitatt. ad Lib. IX. tit. XLVII. C. de poen. Oper. post. Tom. V. p. 1536. edit. Fabrot.* Iac. Gothofredum *ad Cod. Theod. h. l.* et Ant. Schultingium *Diss. ad L. 1. §. vlt. D. de quaest. de eo, qui crimen capitale vltro ac falso confessus, et condemnatus est, comperta postea innocentia liberando, Enarrat. Part. I. Dig. adiecta, §. XIV.* Verum, deserta hac communi interpretum sententia, Idsinga nouam coniecturam proposuit, quam nunc paullo curatius sub
examen